



Dissertatio juridica inauguralis de deposito

<https://hdl.handle.net/1874/342122>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
DEPOSITO.

QUAM,
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,
N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privi-
legiis ritè, ac legitimè consequendis.

Eruditorum Examine subicit.

GERARDUS van ALTEREN, Amst. Bat.
A. D. 18. Junii, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō lōc LXXXVIII.

DISPUTATIO JURIBUS
IN ACADEMIA
DEPOSITO

Q. U. A. M.
TAVENTE DEO TER. OCT. MAY.
EX ACADEMIA MAGISTRI RHEINI
D. M. JOANNIS LUYTS

Philosophia Doctoris, ordinarius Professor in Facultate Academica

THESEON

PRO GRADU DOCTORATUS
SUMMIPNE IN UTROQUE IURE HONORABILITER

IN ACADEMIA MAGISTRI RHEINI
D. M. JOANNIS LUYTS



TRAJECTI ad RHEINUM
EX OFFICINA FRANCISCI HALMA, ACADEMICI
Typographi, cl. lcc. lxxxviii.

V I R O

Nobilissimo ac Gravissimo

D. D A N I E L I

V A N G H E E L,

Toparchæ de Spanbroeck, Spierdijck, Suydermeer & Santwerpen, &c. Avunculo affinitate conjunctissimo, & summo honore colendo.

Excellentissimo & Generosissimo DOMINO

W I L H E L M O.

N A S S A V I O.

Domino. Odičkii. Libero. Toparchæ. Corthenæ. Seystii. Drieberge. &c. primo. & vicem. Principis.

A 2

apud

apud Zelandos. Nobilitatis. sustinen-
ti. tam. in. Præpotentium. Ordinum.
Selandiæ. quam. Deputatorum. ut.
&. res. Maritimas. Moderantium.
consilio. &c. ejusdem. Proviñtiæ.
nomine. adscripto. Potentissimis.
Foederati. Belgii. Ordinibus. Viro.
cum. aliis. in Remp. meritis. tum.
Legationibus. præclare. obitis. Il-
lustri. Patrueli. affinitate. conjuncto.
multum. mihi. honorando. Fauto-
ri.

Excellentissimo & Genero-
sissimo DOMINO
WILHELMO
NASSAVIO

Hoc Inaugurale exercitium venerabundis
Do, Dico, Dedico
G. van ALTEREN.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
DEPOSITO.

THESIS I.



Quoniam nemo rerum suarum semper custos esse potest, sed interdum ad defensionem indiget operâ aliorum hominum, idque maximè obtineat circa custodiam rei alienæ, non incongrue facturum me puto, nobilissimam illam speciem contractuum, Re constantium, Depositum, quoad ejus fieri potest, & vires meæ valent, percurrere; Et quia omnis, quæ de aliqua re instituitur, dissertatio, debet à definiendi ratione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur (*teste Cic. lib. 1. offic.*) placet primo definire quid sit Depositum.

I I.

Depositum nomen ambiguum est, nam & rem depositam denotat, ut cum dicimus depositum restitui debere *l. 10. cod. depof.* quo sensu definitur in *l. 1. ff. depof.* quod custodiendum alicui datur. Secundo ipsum contractum, in qua significatione Depositum recte definitur; *Contractus juris Gentium, bonæ fidei, re constans, quo res corporalis alicui custodienda committitur, ea lege, ut eadem res deponenti, quandocunque libuerit, restituatur.* Dico *juris Gentium* quod firmissime probatur ex §. 2. *Inst. de jure N. G. & C.* & *l. 7. §. 1. ff. de pact. Bonæ fidei l. 1. §. 23. ff. depof. §. 28. inst. de act.* quamvis enim aliis bonæ fidei contractibus, etiam insit bona fides, attamen hic contractus magis bonæ fidei est, quoniam nititur solâ bonâ fide depositarii. *Re constans*, quia non aliter hic contractus perficitur, quam cum reverâ & facto ipso res est tradita §. *penult. instit. quib. mod. re contrab. obl.* quod etiam indicatur à Gajo in *l. 1. §. 5. ff. de obl. & act.* cum ait: *is quoque, apud quem rem aliquam deponimus, re nobis tenetur &c.*

Subjicitur porro in definitione: *quo res corporalis & mobilis gratis alicui custodienda committitur.* Quibus verbis continentur 1. personæ contrahentes. 2. res, quæ deponi potest. 3. forma, ultimo finis depositi. Personæ contrahentes sunt, deponens, qui rem custodiendam

dam committit, & Depositarius, qui recipit. Deponere possunt personæ ad deponendum habiles, uti sunt non tantum rerum Domini *l. 17. §. 1. h. t.* verum & alii possessores, etiam si fur aut prædo fuerit *l. 31. §. 1. ff. h. t.* imo depositarius, rem apud se depositam *l. 16. eod.* & Procurator jussu domini *l. 1. §. 11. eod.* uti & filius *l. 19. eod.* recte deponere possunt. Neque etiam interest, an unus an verò plures deponant *l. 1. §. 44. eod.* Suscipiunt porro depositum, qui habiles sunt ad se obligandos, ut filiusfam. *l. 1. §. 41. h. t.* etiam pupillus cum Tutoris auctoritate, etiam sine eâ, si locupletior factus sit.

I V.

Hactenus de personis contrahentibus, sequuntur res: deponi possunt omnes res, quæ custodiendæ & asservendæ ad aliquem deferri & tradi queunt: unde sequitur, proprie corporaliæ & mobiliæ depositum esse; dictum est enim ex eo quod ponatur *l. 1. pr. h. t.* Rerum vero immobiliæ, si custodia committatur, transit potius in mandatum quam depositum arg. *l. 5. §. 4. ff. de præscr. verb.* Addi *Gratis*: in eo enim consistit forma depositi, quod sua natura sit gratuitum, ita, ut si pro custodia aliquid datum sit, degeneret in contractum Locationis Conductionis, vel in contractum innominatum *l. 1. §. 8. & 9. ff. de pos.*

V.

Finis depositi proprius est custodia rei *l. 1. pr. h. t.* proprietate & dominio apud dominum manente *l. 17. §. 1. ff. eod.*

8 DISPUTATIO JURIDICA

eod. in quo ab aliis contractibus, re initis, veluti à Mutuo, Commodato, Pignore distinguitur, quibus vel Dominium transit, vel possessio, vel usus conceditur, quem si Depositarius invito domino sibi adsumeret, actione furti teneretur *l. 3. eod. h. t.* secus si inter eos initio conveniret, ut depositarius pecuniam aut aliam rem in suos usus impendat, & tantundem aliquando restituat, tunc enim mutuum est *l. 24. h. t.* Alter Finis depositi est, ut eadem res deponenti quodocunque libuerit, restituatur: quod aded verum est, ut nihil quicquam Depositarius Deponenti, qui rem suam sibi restitui postulat, objicere possit, ut nulla compensatio, nulla deductio, nulla doli exceptio deponenti objici possit *l. II. cod. depof.* imo licet conventum fuerit, ut depositum maneat ad certum tempus, tamen ante illud tempus repeti potest, neque prohibendus est Deponens voluntatem suam mutare, & pro lubitu revocare *l. I. §. 45. ff. h. t.* quoniam illud tempus tantum gratiam Deponentis concernit *l. 41. §. I. ff. de verb. obl.*

V I.

Duplex ex hoc contractu nascitur actio; una depositi Directa, altera Contraria. Directa datur Deponenti adversus Depositarium, ad restituendam rem depositam, & refarciendum damnum dolo vel lata culpa in eam datum. Datur Deponenti: nec refert, an sit filiusfam. *l. 19. h. t.* an paterfam. sive liber homo, sive servus *l. I. §. 17. h. t.* quo casu tamen, si servus deposuit, competit Domino actio *d. l. I. §. 17.* non solum autem De-

ponenti, verum etiam Hæredi Deponentis, Bonorum Possessori cæterisque successoribus datur, quoniam rei persecutionem continet *l. 1. §. 19. b. t.* Quid si plures sint Hæredes, & unus vel alter rem petat? Hoc casu distinguendum inter rem dividuam & individuam: nam si sit dividua, & unus ex hæredibus ejus, qui deposuit, veniat repetens, ei pro parte hæreditariâ, quamvis ob signata sit exsolvenda est. *l. 1. §. 36. b. t.* Sin autem major pars adierit, ipsi restituenda, si modo idoneam cautelam præstiterit *l. 14. b. t.* Quod si verò res sit, quæ divisionem non recipit, tunc agenti, si satisdet de eo, quod supra ejus partem est, restituenda erit; satisfactione autem non interveniente, res in æde sacrâ deponi potest, & omni actione Depositarius liberari. *l. 1. §. 36. ff. b. t.*

V I I.

Datur hæc actio adversus illum penes quem res est deposita *l. 1. §. 7. b. t.* si apud plures sit deposita, contra unumquemque eorum agi potest, neque enim alter unius electione, sed demum solutione liberabitur *l. 1. §. 43. ff. b. t.* Tenetur etiam pupillus, apud quem sine Tutoris auctoritate depositum est, sed non aliter, quàm si doli capax dolum commiserit, imo quamvis dolo non interveniat, modo locupletior factus sit *l. 1. §. 15. b. t.* Adversus hæredes Depositarii etiam agi potest *l. 9. §. 14. §. 1. b. t.* non tantum in id, quod ad eos pervenit, sed in solidum ex dolo Defuncti *l. 7. §. 1. b. t.* quamvis enim alias ex dolo Defuncti nemo soleat teneri, nisi eatenus, quatenus ad se pervenit *l. 26. ff. de dol. mal.* tamen,
B
quia

quia hic dolus ex contractu & rei persecutione descendit, unus hæres in solidum tenetur : plures vero pro ea parte, quâ quis hæres est *l. 7. §. 1. h. t. l. 157. ff. de R. I.*

VIII.

Venit in hanc actionem res deposita restituenda in specie, & refarciendum omne damnum dolo vel latâ culpâ in eâ datum *l. 1. §. 24. h. t.* Res itaque, si deterior facta fuerit, tenetur Depositarius ad æstimationem deteriorationis *l. 1. §. 16. h. t.* Damnum, si dolo vel latâ culpâ Depositarius dederit, debet sarcire. De præstatione doli, non est quod dubitetur, nam in pluribus locis (ut in *l. 1. §. ult. h. t. l. 23. ff. de R. I.* & similibus) ejus mentio fit. Dubitare autem quis possit, an lata culpa in hanc actionem veniat propter legem *l. 1. §. ult. h. t.* in qua dolus *duntaxat.* præstatur; verum quod lata culpa etiam præstanda sit, probatur ex *l. 32. ff. h. t. l. 1. §. 1. C. eod.* De levi autem & levissima Depositarius non tenetur, quoniam hic contractus tantum concernit commodum Deponentis. Excipe, si Depositarius deposito se obtulerit *l. 1. §. 35. h. t.* tunc enim & de levissima tenetur. Si aliquid pro custodia receperit *l. 5. §. 2. ff. commod.* si Depositarius post revocatum depositum sit in morâ *l. 12. §. ult. h. t.*

IX.

Hæc de Depositi actione directâ. Contraria datur depositario adversus Deponentem, ad id ut servetur indemnis. Omne itaque damnum quod passus est Depositarius

fitarius ratione vitii rei depositæ; Deponens ipsi refarcire debet, siue sciverit siue ignoraverit, nemini enim officium suum debet esse damnosum *l. 7. ff. quemadmodum test. aper.* Quæstio hic occurrit, an depositarius ob impensas in rem depositam factas, depositum retinere possit? Affirmativam sententiam assumo per *l. 18. §. ult. ff. commod.* ubi Gajus: quod id, quod contrario iudicio consequi quisque potest, id etiam recto iudicio, quo cum eo agitur, possit saluum habere jure pensationis.

X.

Depositum est vel in specie, vel Miserabile, vel sequestratio; de primo breviter dicam. Miserabile depositum est quod incendii, ruinæ, naufragii, tumultus causâ deponitur *l. 18. ff. b. t.* quo casu, si Depositarius infitatus fuerit Depositum, majori poena coercetur, daturque à Prætorè actio in duplum adversus infitiantem depositum ex istis causis. *§. 23. inst. ad act.* Ratio autem posita est in majore perfidiâ, quæ committitur illis casibus, quibus necessitas non permittit fidem alicujus eligere *l. 1. §. 2. 3. §. 4. b. t.*

XI.

Sequestratio est depositum rei controversæ apud tertium, ea conditione, ut lite finita res victori restitatur *l. 110. de V. S.* dividitur in voluntariam, quæ fit ex conventionem partium, & regulariter permissa est. Et necessariam, quæ fit auctoritate iudicis, & regulariter est prohibita *l. unica. C. de. prob. sequestr. pecun.* Excipe si lis

est de re mobili, & Possessor suspectus est de fugâ aut dilapidatione, neque fatidetur iudicio sisti *l. 16. b. t.* Alia exceptio occurrit in *l. 21. §. ult. ff. de Apell.*

X I I.

Ex hac sequestratione nascitur actio depositi sequestrati, sive sequestraria *l. 12. §. 2. ff. b. t.* quæ etiam duplex est; directa & contraria: Directa datur Victori lite sopitâ, adversus sequestrum ejusque hæredem *d. l. 12. §. 2.* ut rem restituat cum omnibus fructibus: Contraria datur sequestro finita lite, adversus eum qui in lite vicit, ut præstet id quod sequestro abest.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Constitutio leg. un. C. de proh. sequestr. pecun. *non tantum de pecuniâ numeratâ, sed de quibusvis rebus intelligi debet.*

Filius

I I.

*Filius familias non potest condere testamen-
tum.*

I I I.

Origo substitutionis est juris Gentium.

I V.

*Recte definitur legatum in §. 1. instit. de legat.
quod sit donatio quædam à defuncto relicta ab
hærede præstanda.*

V.

Res immobilis proprie deponi non potest.

V I.

*Sequestratio non transfert possessionem in seque-
strum.*



V I R O

NOBILISSIMO AMPLISSIMO
DOCTISSIMO

D^{NO.} GERARDO

A B ALTEREN,

*cum Lauream Doctoralem communi
applausu consequeretur.*



Lphæus, Veterum quem Fama per
Elidis arcta

Tradidit occultis antra measse viis;

Hunc Arethusa suo spumantem fuscipit
ore,

Et Siculo dulces Æquore miscet aquas.

Dum prius in latebris voluit Præclara teneri

Virtus, majori robore rumpit eas.

Quid

Quid mirum, GERARDE, Tuos siluisse calores?

O PARS PEGASEÏ NON RETICENDA CHORI!

Cecropias tacitè placuit gustare scatebras,

Ac Themidos multis Tempa rigare vadis;

Surgeret ut Pectus, rapidis quod Gloria Flammis,

Cognatique movet nobilis Aura Poli.

Hinc Tua jam doctos effundit Vena liquores,

Quos Patriis hausit Mens Generosa Scyphis.

Affulgent MAGNI Sacrà de Gente PATRONI,

PATRIA quos vivis inferit Alma Cedris.

Ipsè Tuum veneratur Opus Latöus, & inde

Thespiadum studio Munera Daphnis habes.

Numina nunc superest Fatorum ut Flumina ducant,

Fluctibus ac faustis Lympha venusta fluat.

apposuit

G. C.

Quidam Garandi, The (faint)

O Sars Facas non (faint)

Carpa (faint)

Ac Thasos (faint)

Surgit ut Fatus, rapida quod Gloria (faint)

Cognitio (faint)

Hic in Jan (faint)

Quo (faint)

(faint)

(faint)

Job (faint)

The (faint)

(faint)

(faint)

(faint)

(faint)

(faint)